



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput XXI. De perpetua conjunctione cum Deo, & studium magnificandi
Deum in omnibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132

C A P U T XXI.

De perpetua Conjunctione cum
DEO, & studium magnificandi
DEUM in omnibus.



Ariè potest accipi conjunctio cum DEO. per justitiam & gratiam baptismalem, conservando animam à lethali peccato, à prima in baptismo parta innocentia. & talem habuit P. Martinus, teste R. P. Andrea Schambogen vitæ secundùm DEUM arbitro. semper DEO vivens & unitus, nunquam mortuus vel disunitus. alteram conjunctionem habuit, per adhærentiam intentionis suæ, DEUM in oculis & pro fine actionum habendo, potentiâsque suas intendendo, juxta illud S. Davidis, quod pro symbolo appropriato, appositè Iconi primùm excusæ adsculptum fuit

Psal. 15. Providebam Dominum in conspectu meo semper.

Potest & illa conjunctio vocari, quâ in omnibus actionibus, locutionibus, dispositionibus, & ipsâ formâ gressûs sanctitatem ac DEUM spirabat, quod nullus non fatebitur. fuit nimirum

Hebr. 11. 27.

velut Moyfes juxta S. Paulum ad Hebræos, in quantum vivendi modo *Invisibilem tanquam videns sustinuit.* fuit ex hujusmodi, de quibus scripsit S. Augustinus: *Tales, ait, convenit esse DEI cultores,*

cultores, & servos, mansuetos, graves, prudentes,
 pios, irreprehensibiles, immaculatos; ut quisquis
 viderit eos, stupeat & dicat: Hi omnes sunt Dij,
 quorum talis est conversatio: ita se homo DEUS ex-
 hibere debet & agere, ut nemo sit, qui eum videre
 non velit, qui eum non audire desideret; nemo eum
 cum viderit, non DEI esse filium credat, ut verè in
 eo Propheticum illud impleatur: fauces plena
 dulcedinis, & totus desiderabilis. Concluserat
 secum in Tyrocinio, ut pro sapientia DEI zelaret
 ad mortem, ut inquam se totum sanctitati tra-
 deret, nihil in humanis respiciendo vel æstimando,
 nisi solum DEUM solamque sanctitatem. Con-
 siliatus sum, inquit, ut facerem illam (intellige Eccli 51.
 sanctitatem & perpetuam cum DEO conjun-
 ctionem) zelatus sum bonum & non confundar.
 Colluctata est anima mea in illa, & in faciendo illam
 confirmatus sum. Colluctata est. Græcus legit:
 acriter pugnavit anima mea pro illa. & in faciendo,
 Vatablus legit: & in operatione mea exactus fui.
 Animam meam conjunxi ad illam, & in agnitione
 inveni eam. sive ut idem legit: conjunctum cum
 illa cor adeptus sum ab initio. ita fecit ut vidimus
 à tempore Tyrocinij, quando se resolvit ex prin-
 cipijs illis duobus *Observantia*, ut se positivè to-
 tum per momenta omnia spiritui ac DEO trade-
 ret; & odio *Negligentia*, ut nè in minimo remis-
 sus esset. Et quia juxta S. Ambrosium *fons de-* de Abr.
votionis

134 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

uotionis est virtutum omnium exemplar: cùm perpetuò plenitudinem orationis & pietatis eructârit, hic vir diuinus, non mirum est omnes virtutes illum ad excellentiam adeptum esse. Hauriebat hanc plenitudinem devotionis & conjunctionis ex præsentia crebra coram SS. Sacramento, tanquam ex fontana plenitudine Diuinitatis, siue dum vacuus à gravioribus occupationibus erat, siue quando periculum aut necessitas domestica postulabat.

Plures fuerunt viri gravissimi, qui servatam Brunam ab obsidione gravi Suecica, secundum vires bellicas propugnantium, sanctis viri precibus attribuerunt. quem etiam sublimem in aëre supra Templi nostri Brunensis apicem, contra hostes orantem se vidisse nonnulli, ut infra videbimus, jure jurando testari voluerunt. maximum certè fuit solatium populo, sub insultûs tempora in sacram Ædem nostram confluenti, quando sanctum ut aiebant virum vel orantem conspexerunt, vel tusientem audierunt. Augustus ipse Cæsar Ferd. III. pro incolumitate Brunæ sollicitus, primam quæstionem fecit, quis è societate Regimen Brunæ haberet. cùmque P. Martinum Stredonium inaudisset: salvam fore Brunam ob sancti viri præsentiam exhilaratus adjecit. Poterat de illo dici quod de S. Epiphanio Episcopo Ticinensi dixerat

xerat Theodoricus Gothorum Rex: *Ecce hominem, cujus totus oriens similem non habet, quem vidisse premium est, cum quo habitare securitas. fortissimo muro Civitas Ticinensis, (nos dicimus, Brunensis) incolumi isto vallatur: quos oppugnantum nulla vis possit obruere.* Non mirum est victicem spiritum habuisse, *cujus virtus, adolescentia & senectus totaque vita* (sic S. Augustinus de Scipione, Romæ Italiæque liberatore, Hannibalis victore, Carthaginisque domitore dixerat) *Dijs dedita, templisque nutrita fuit.* Hærebat ergo extra studium gravius, in Ecclesia, suaque sacrificia thymiamatis, è thure, galbano, onyche & stacte, è fide inquam fiducia, charitate & humilitate, Divinæ Majestati adolebat. non jam victimas illecebrarum mactare opus habens, sed quod de Thymiamate Ven. Beda explicat, *Orationum spiritualium & caelestium desideriorum odoramenta, per ignem interni amoris in conspectu sui Conditoris adolens.* In omnibus certè Divinis Officijs ipse semper primus & præsens aderat, in Litanijs, Vesperis, sacris decantatis, precibus publicis. Pensum Canonicum ferè in odæo Templi, de genibus flexis persolvebat mentis ardore tanto, ut quoties solum se putabat, multis singultibus & longis suspirijs, Templum imple-ret. Per solidos 29. annos sacerdotij sui, vel sacris operari sanus ac valens, vel æger Divinissimo

fimo

simo Epulo quòtidie, rarâ quâdam devotionis majestate communicare, nunquam intermisit. Ab annis compluribus, itâ sanctè apud se statuerat, quod & servavit constanter: orabo & adorabo DEUM in spiritu & veritate: psallam voce & mente psallam: accedam ad S. Communionem ceu fontem gratiarum, cum ingenti desiderio, vel ut cervus ad fontes aquarum. assistam sancto Altari cum reverentia Abyssali, ut Throno DEI supernæ Potestates.

Et valuit plurimum exquisita hæc pietas ad commovendos secularium animos, quorum plerique quo die sacrificio ipsius adesse poterant, eo se peculiari quodam beneficio affectos credebant, & contra casus adversos, decursu illius diei sufficienter munitos. fuit Persona quædam Catholico nomini virulentè infesta, quæ dum fortè in Templo nostro ad aras operantem videt P. Martinum, gestusque omnes decoræ pietati eleganter conformes intuetur, domum redux, tundensque pectus, sanctitatem Viri domesticis admirabunda deprædicavit, affirmans, Sanctum se hominem in vita sua vidisse nusquam, nec ab ullius præsentia salubrius unquam fuisse commotam. Ipse fateor annis octodecim antè quam moreretur, Pragæ divinas peragentem cæremonias Feria 6. Parasceves tanto cum gustu obtantam majestatem & pietatem, quæ de
omni. singulis

singulis actionibus promicabat, observavi, ut ad illa usq; tempora majus solatium è spectaculis non habuerim. Abyssavit se, imò aliquando excessibus sui amoris in Majestatem DEI adeo, ut à quibusdam conspectus fuerit (quod infra futius declarabitur) elevatus à terra Sacrificij tempore, dum Pragæ ad Aram S. Patriarchæ Nostri, sacrificium & seipsum immolabat. constat hoc ipsum ex pauculis, quæ parcâ manu, summè ut vidimus secretorum tenax adnotavit, non defuisse viro luces & ignes Divinos, qui cœlum in corde, delicias spiritûs in Martino excitabant.

Emanabant deinceps è confortio illo Majestatis, decreta varia, quæ magnificus ab ingenio & affectu Amor erga DEUM & pro DEO, *pulchritudinis studium habens dictitabat.* Inde resolutiones in animo generoso pullularunt sequentes. videlicet: DEUM ubique circumferre, magnificè ac sanctè, sancta omnia tractare; pro decore Domûs DEI studere, inexplebili gustu Tempa exornare; Aras varias erigere; Divorû reliquias decentiùs collocare; elegantes apparatus adinvenire; varias Devotionis illecebras, temporibus Anni sacratoribus, Triduo præsertim antecinerali, passim per Provinciam erigere vel collaudare. Asserebat etiam Hominum Societatis proprium esse, in externo etiam cultu Majestatis Divinæ ubique amplificando, & in

S ad

*Ecclesi. 44
6.*

adinveniendis varijs industrijs, quibus hominum frequentia alliciatur ad videndum & gustandum in Templis nostris DEUM tam benè de nobis meritum, humanas vires & ingenium immorari & immolari debere.

Illius ingenio & affectui debetur, elegans illa totique Triurbi Pragensi magnifica visa, S. CRISPI M. Translatio, cujus sacrum Corpus ex Collegio Clementino, nostris Patribus è Triurbe tota, Sacerdotali apparatu ornatis, clericisq; linteatis, per Pragensem Pontem in Ecclesiam Domûs Professæ, transferri fecit. Ille sanctos illos Bohemiæ Patronos, magnifico scalp pro sub arcubus in Templo Salvatoris collocavit. Ille Aram ibidem majorem; ille tholi seu Cuppulæ Author fuit, cujus etiam precibus ab immanibus ænearum fistularum globis svecicis, immunis stetisse dicitur. Ille Martyria Brunæ sub conopæis erexit. Et sicut in DEUM ausibus suis, ità in Matrem DEI liberalis ac Magnificus fuit, cujus Templo Brunæ adornando, multam operam impendit, omniâque festa specialibus jejunijs anteivit. Neque his contentus, novas DEO magnificando & propitiando Inventiones excogitabat, centum horarum preces sibi aliquando imperans, quam pijsimam horariam hecatomben temporibus succisivis Divinæ Majestati, etiam in hoc Sacerdos magnus, immolabat.

bat. Et licet paucula tantum quæ interior agebat coram DEO, ab extrinsecò notari potuerint: colligere tamen licet, etiam ex istis, quanta & qualia mente cum DEO petraçtaret, quantaque intus pro DEO moliretur. Assiduum præterea eidem fuit adinvenire ac texere corollas, quibus gloriam Divinam redimire studebat. corollas puta, ex Vita Divæ Virginis, ex Mysterijs ac Titulis ejusdem. Corollas sanctissimæ Trinitatis, Christi Patientis, SS. Quinque Vulnerum, Sancti Spiritûs, SS. Sacramenti, corollas Defunctorum, & Novissimorum. quibus ille armis instruebatur maximè, quando periculosa itinera hostili tempore, Provinciam gubernans, solo Rosario ac fiducia in DEUM comite, absq; ullo militari præsidio, peragrabat.

Molem autem negotiorum, non sinebat sibi unquam dominari, sive ad angustias temporis & animi contestandas, sive ad difficiliorem ad orationem regressum; sed vel *intra ipsa negotia, Altare sibi* ut loquitur S. Chrysof. *constituebat*, homil. 79. ad pop. vel connaturaliter in sanctuarium cordis, à finitibus molestioribus negotijs remeabat. Quod de S. Antonio Archi-episcopo Florentino, scriptor vitæ prodidit, hoc securè de P. Martino sentire possumus: *Nulla fuit unquam tanta negotiorum moles, & incurrentium causarum implicatio, ut vel tantillum hominem DEO plenum, retinere posset,*

quin in sublime totus speculatum cœlestia raperetur. Habebat scilicet reconditum quendam mentis angulum, quem intactum servabat, ad quem negotiorum strepitus, & curarum pastoralium anxietas non irrepebat, ut ubi actitandis causis (& negotijs) desisteret, eò tanquam ad asylum tutissimum, & ab hoc exteriori homine, ad eum quem Paulus interiori appellat, recurreret.

Qualiter denique conjunctus DEO fuerit, ex ipsiusmet litteris colligimus, nihil illum intendisse, quàm solum DEUM. sic enim Brunâ 12. Decemb. Anno 1645. ad P. Andream Schambogen scripsit: *In datis à R. V. 26. Novembris, legi cùm solatio Patris & filiorum ejus spiritalium exultum pietatem. D. DEUS noster illam coronet & adaugeat! Ad me quod attinet, aliud non quero, quàm ut totus sim Domini mei, & ex ejus sancta dispositione totus servorum ejus, sive vivuus sive mortuus.*

